

VERARDI FABRICH Gailius Enucleatus, Colonia, 1697. 4. omnibus maxime est necessarius, quippe ad singulas Gailii obseruationes, sententias ICtorum clarissimorum dissentientium, & praxin hodiernam notat. In sententiarum quoque quæ in foris receptæ, Decisionibus eminent DAVIDIS MEVII Decisiones summi Tribunalis Wismariensis, & in Terris Saxonicas præcipue BENEDICTI CARPZOVII Definitiones, & MATTHIAE BERLICHII Conclusiones, qui Patres dici solent Practicorum.

*Ius Criminale.* §. XVIII. In *Iure Criminali compendium minale.* præbet PETRI MULLERI *Iurisprudentia Criminalis*, Ienæ 1701. 4. Plenius vero Systema est PETRI THEODORICI *Collegium Criminale*, ex editione & cum adiunctis dissertationibus beati Parentis, Ienæ 1671. 4. Addi potest IOANNIS BAPTISTÆ VULPINII *succus ex operibus Farinacii*, Lugduni 1687. f. cum ipsa *Opera Farinacii* maioris sint molis, & quantum ad *Criminalem Processum Saxonicum* BENEDICTI CARPZOVII *Practica Criminalis*, Wittebergæ 1709. f. hic enim Pater Criminalistarum vulgo habetur, licet multa proferat, quæ hodie non amplius sint in usu. In ipso Processu adhibendus BENED. CARPZOVII *Achts-Process*, & qui certa adhuc parte præualet *Processus Criminalis Altenburgensis*. Nuper CHRISTIANVS IACOBVS HEIL Indicem & Defensorem in *Processu Inquisitionis seu Tractatum Criminale Theoretico - Practicum*, Lipsiae 1717. 4. edidit, qui Liber hoc in argumento sane est egregius & in Praxi versaturis per-